

luerunt vel exosam habuerunt disciplinam & timorem Domini non susceperunt, *Prover. 1. ver. 29.* dum amant seculum, non amant DEUM, inquit hic Augustinus.

§. 7 *Non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum:* summa & profunda notatur corruptio, quæ una cum morte in universum genus humanum pertransiit, *Rom. 5. v. 12.* Augustinus & qui eum seqq. Beda, Cassiodorus Thomas illud *usq; ad unum* exponunt dupliciter; vel cum ipsò unò (*verba Augustini*) potest intelligi, ut nullus hominum intelligatur, vel præter unum ut excipiatur Dominus Christus: sicut dicimus, iste ager usque ad mare est, non utique simul computamus & mare, & istum esse ait intellectum meliorem ut nemo intelligatur fecisse bonitatem usque ad Christum: sed violenta est hæc expositio, & verba ista, *usque ad unum*, nec in Hebræo neque Chaldæo textu extant.

Vers. 2.

§. 8. *Dominus de cælo prospexit:* Visitata est Scripturæ sacræ antropopathia ut & *Gen. 6. v. 5. & c. 7. v. 5. & c. 18. v. 21. Ps. 32. v. 13.* Vultus enim Domini super eos, qui malè faciunt, ut è terrâ succidat memoriam eorum, *Psal. 33. v. 16.* Augustinus annotat prospicere Dominum per animas sanctas, quæ annotatio fundamento non caret: Nam Hebræum *Hiskiph*, prospexit, ponitur in conjugatione *Hiphil*, & significat *Dominus prospicere fecit.* Nam non DEUS tantum peccata prospicit hominum, sed etiam angelis Prophetis & Apostolis ea nota fiunt ex ejus revelatione. Atque hinc Prophetæ dicti sunt, videntes *1. Sam. 9. v. 9.* Nam in scriptura sacra Prophetiæ nomen, nunc ad os, nunc ad aures, interdum ad oculos refertur: ab ore dicitur *Prophetia*, oraculum, verbum Domini, ab auribus *auditus* sive auditio, apud *Abdiam v. 1. Habac. 3. vers. 2,* & ab oculis, *visio, Esa. 33. v. 7. & passim,*